

### PARS III

#### DE QUIBUSDAM PROCESSIBUS SPECIALIBUS DE PROCESSIBUS MATRIMONIALIBUS

*De causis ad matrimonii nullitatem declarandam (1671-1707)*

##### DE FORO COMPETENTI

Causae matrimoniales baptizorum jure proprio spectant ad iudicem ecclesiasticum.

Causae de effectibus matrimonii mere civilibus pertinent ad civilem magistratum; si incidenter et accessoriae, possunt etiam a iudice ecclesiastico cognosci ac definiri.

In causis de matrimonii nullitate, quae reservatae non sint Sedi Apostolicae, competentia sunt:

1. Tribunal loci in quo matrimonium celebratum est;
2. Tribunal loci in quo pars conventa domicilium vel quasi domicilium habet;
3. Tribunal loci in quo pars actrix domicilium habet, conventa consentiente;
4. Tribunal loci in quo de facto colligendae sunt pleraeque probationes.

ANNOTATIO: In civitate italica ex Motu proprio «Qua cura» (8 dec. 1938) causae de matrimonii nullitate spectant ad Tribunalia in ipsa Constitutione signata.

Vox «jure exclusivo» aufertur; locutio «inter baptizatos» immutatur.

## DE JURE IMPUGNANDI MATRIMONIUM

Tribunal nullam causam matrimonialem cognoscere vel definire potest, nisi regularis accusatio vel iure facta petitio.

Habiles ad accusandum sunt coniuges et promotor iustitiae cum nullitas iam divulgata est.

Matrimonium, quod utroque coniuge vivente non fuerit accusatum, post mortem alteriustrius vel utriusque coniugis accusari non potest.

Si coniux moriatur pendente causa, heres, cuius intersit, litem resumat sua sponte vel citatione ab iudice facta.

ANNOTATIO: Exceptio coniugis culpabilis ad accusandum matrimonium abrogatur.

## DE OFFICIO IUDICUM

Iudex conari debet ut partes convalidationem matrimonii et coniugalem convictum procurent, sed – si fieri hoc non possit – libellum acceptat et ad notificationem decreti citationis procedit. Transacto termino quindecim dierum a notificatione, intra decem dies formulam dubii decreto suo statuit, nisi alterutra pars litis contestationem petierit.

Post decem dies a notificatione decreti de dubii formulatione, decreto causae instructionem disponit.

ANNOTATIO: Regulae libelli admissionis immutantur.

## DE PROBATIONIBUS

In causis matrimonialibus defensori vinculi, partium patronis, advocatis vel procuratoribus, et promotori iustitiae, si in iudicio sit, jus est adesse examini partium, testium et peritorum, invisere et recognoscere praeterea acta iudicialia ac documenta. Depositiones partium aestimandae sunt ex earum credibilitate.

Peritorum opera utenda est quoties requiritur aliquod comprobandum in causis de impotentia vel de consensus defectu propter mentis morbum.

ANNOTATIO: Novum praescriptum est pro partium patronis, qui adsunt examini partium, testium et peritorum necnon invisere et recognoscere possunt acta iudicialia et documenta.

#### DE SENTENTIA ET APPELLATIONE

Quoties in instructione causae dubium valde probabile emergat de non secuta matrimonii consummatione, iudex – partibus consentientibus – instructionem comperire potest pro dispensatione super rato, et acta transmittere ad Sedem Apostolicam cum suo voto.

Conclusa causa, sententia nullitatis matrimonii cum iudicialibus actis atque fortuitis appellationibus transmittatur ex officio ad Tribunal appellationis intra viginti dies a publicatione. Tribunal appellationis continenter confirmare decisionem potest suo decreto vel admittere causam ad ordinarium examen novi gradus.

In casu ordinarii secundi examinis, Tribunal admittere et iudicare etiam potest novum nullitatis matrimonii caput.

Post decretum vel secundam sententiam, jus coniugibus est novas nuptias contrahendi, nisi decreto aut sententia vel Ordinario loci prohibeatur.

Vicarius iudicialis notificare debet sententiam Ordinario loci in quo matrimonium celebratum fuerit.

ANNOTATIO: Traditio ex officio delatae sententiae et potestas Tribunalis appellationis primam sententiam ratam habendi aut causam remittendi ad novum ordinarium examen. Ne postulatur quidem tempus decem dierum ad novas nuptias contrahendas.

#### DE PROCESSU DOCUMENTALI

Cum agitur de factis de quibus certa et authentica documenta nulla dubia obnoxia haberi possunt aut de existentia impedimenti vel de defectu legitimae formae aut de defectu validi procuratoris mandati, et certum facileque est jus, declaratio nullitatis matrimonii proferri potest, ommissa iudicii sollemnitate.

Vicarius iudicialis – citatis partibus et cum interventu defensoris vinculi – matrimonii nullitatem sententia declarare potest.

Adversus hanc declarationem partes ac defensor vinculi appellare possunt ad iudicem secundae instantiae, qui eodem modo decernet utrum sententia confirmanda sit an potius procedendum in causa apud Tribunal primae instantiae.

ANNOTATIO: Processus documentalis signum et notam habet brevitatís et ex voce fit. Petitio proposita est apud Ordinarium loci competentem ad normam canonis 1673.

#### NORMAE GENERALES

Sententia moneat partes ut exerceant obligationes morales et etiám civiles, quibus forte teneatur altera erga alteram, necnon erga prolem quoad sustentationem et educationem praestandam.

Causae matrimoniales nequeunt processu contentioso orali tractari et de reliquo observant canones de iudiciis in genere et de iudicio contentioso ordinario, servatis specialibus normis circa causas de statu personarum et causas ad bonum publicum spectantes.

#### DE CAUSIS SEPARATIONIS CONIUGUM

Coniuges obligati sunt ad vitae coniugalis communionem; tamen iustae causae facultatem tribuunt discedendi, manente vinculo.

In hoc casu divortium minus plenum habetur, quod separationem tori, mensae et habitationis postulat.

Separatio coniugum baptizatorum decerni potest Episcopi dioecesaní decreto vel iudicis sententia. Ante causam iudex verum tamen media adhibeat ad conciliationem et ad coniugalem convictum restaurandum.

Episcopus dioecesis commorationis coniugum poterit licentiam concedere adeundi forum civile ubi decisio ecclesiastica effectus civiles non sortitur vel si sententia civilis non contraria juri divino praevideatur. Si causa vero versetur etiám circa effectus mere civiles, ab initio ad forum civile deferatur.

Nisi aliter pars vel promotor iustitiae petat, in causa separationis processus contentiosus oralis adhibeatur. Si autem adhibeatur processus contentiosus ordinarius, Tribunal secundi gradus decisionem con-

tinenter confirmet vel ad ordinarium examen novi gradus causam admittat.

Quoad competentiam Tribunalium, servantur praescripta canonis 1673.

Causis separationis interesse semper debet promotor iustitiae.

ANNOTATIO: Codex 1917 non habebat in genere aptam disciplinam iudiciale, quae hodie occurrit propter civiles divortii leges profluxas. Novum Jus canonicum circa coniugum separationem bina media statuit: administrativum et iudiciale. Discrimen non facit inter divortium partiale et totale vel temporaneum et perpetuum. Causas separationis taxative non enumerat.

#### DE PROCESSU AD DISPENSATIONEM SUPER MATRIMONIO RATO ET NON CONSUMMATO

Matrimonium ratum et consummatum inter baptizatos nulla humana potestate nullaque causa – praeterquam morte – dissolvi potest.

Matrimonium ratum et non consummatum autem solvitur ipso iure per sollemnem professionem religiosam atque per dispensationem vero ab uno Summo Pontifice concessam.

Jus petendi dispensationem super matrimonio rato et non consummato soli coniuges habent.

Episcopus dioecesanus domicilii vel quasi domicilii oratoris competens est per viam Tribunalis sui vel alienae dioecesis ad libellum accipiendum et ad processus instructionem disponendam; in casibus specialium difficultatum Sedem Apostolicam consulat.

Adversus libelli reiectionem, patet recursus ad Sedem Apostolicam. Quod si pendet causa iudicialis ad declarandam nullitatem eiusdem matrimonii, libellus ad idem Tribunal committatur.

In hoc processu semper intervenire debet vinculi defensor, numquam patronus, sed permitti potest iurisperiti opera; item – quantum fieri possit – canones iudicii contentiosi ordinarii et de matrimonii nullitate observandi sint quoad probationes.

Instructione peracta, Episcopus cum suo voto et animadversionibus defensoris vinculi omnia acta ad Sedem Apostolicam transmittat,

quae – perspecta inconsummatione ex deductis – ad Episcopum rescriptum dispensationis transmittet.

ANNOTATIO: In casu, inducta est lex peculiaris, quae etiam omnes doctrinas pertinentes colliget.

#### DE PROCESSU PRAESUMPTAE MORTIS CONIUGIS

Qui matrimonio iam iniunctus est, licete contrahere novum non potest, antequam prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit.

Nullitas et solutio prioris matrimonii constare debet ex sententia Tribunalis ecclesiastici aut ex authentico documento ecclesiastico vel civili mortis prioris coniugis.

Quod in specie attinet ad probationem mortis coniugis prioris – quoties coniugis mors comprobari authentico documento nequit – opus est declaratio de morte praesumpta ab Episcopo dioecesano prolata.

ANNOTATIO: Doctrina mortis praesumptae, a primo admissa in unum jus matrimoniale, introducitur in novum Codicem.

*De causis ad sacrae ordinationis nullitatem declarandam (1708-1712)*

Causae contra sacram ordinationem sunt diversi generis et impugnari possunt ab ipso clerico apud Ordinarium cui clericus subsit vel Ordinarium loci ordinationis.

Libellus mittendus est ad competentem Congregationem, quae decernet utrum causa an ipsa a se a Tribunali designato sit agenda.

Libello misso, clericus ordines exercere ipso jure vetatur. Salvis praescriptis huius tituli, Tribunal designatum observet canones de iudiciis in genere et de iudicio contentioso ordinario.

In his causis defensor vinculi officium tenet.

Clericus liber ab obligationibus sacrae ordinationis declaretur post duplicem sententiam conformem.

*De modis evitandi iudicia (1713-1716)*

Ad evitandas iudiciales contentiones adhiberi potest transactio aut compromissum per arbitros aut iudicium arbitrale.

Arbitri servare debent regulas pro particularibus normis a partibus electis aut pro legibus ab episcoporum Conferentia latis, si quae sint, aut civilibus datis.

Valide transactio aut compromissum fieri nequit circa ea quae ad bonum publicum pertinent.

Sententia arbitralis ecclesiastica, non cognita a lege civili, indiget confirmatione iudicis ecclesiastici loci in quo lata est et coram quo impugnatio proponi etiam potest.